

wäre ihm gewiss unlieb, wenn nun Jemand ihn wegen seiner Unkenntniss des Masculinums *Dalmata* des „Mangels an elementaren Kenntnissen“ zeihen wollte¹⁾.

Braunsberg.

W. WEISSBRODT.

¹⁾ Hier sei denn auch nebenbei auf eine Uebersetzung hingewiesen, welche *Stacke* in seiner « Deutschen Geschichte I, S. 281 leistet. In S. Apollinare in Classe zu Ravenna findet sich folgende Inschrift : *Otto III. Rom. imp Germ. ob patrata crima anteriori disciplinae sancti Romualdi obtemperans emenso nudis pedibus ab urbe Roma ad Garganum montem itinere, basilicam et coenobium Classe XXXX diebus poenitens inhabitavit et hic CILICIO ac voluntariis castigationibus peccata sua expians augustum dedit humilitatis exemplum.* *Stacke* übersetzt : « Otto III . . . hat hier durch ein Weihgeschenk (cilicischen Teppich) und freiwillige Kasteiungen seine Sünden sühnend ein hehres Beispiel der Demut gegeben ». Ein *cilicium* ist bekanntlich ein Busskleid, das schon Genesis 37, 34 und ausserdem noch 25 mal im Alten und 2 mal im Neuen Testamente (Matth. 11, 21 und Lucas 10, 13) vorkommt. Du Cange : « *Cilicum, vestis interior, seu subucula ex pilis animalium contexta (unde nomen), quam Monachi et vitae sanctioris viri ad domandam carnem sub ceteris vestimentis deferunt.* »

REDE DES BURGUNDISCHEN GESANDTEN UND BISCHOFS
VON TOURNAY WILHELM FILASTRE
IN SACHEN EINES KREUZZUGS GEGEN DIE TÜRKEN,
GEHALTEN ZU ROM AM 8. OCTOBER 1463 IM ÖFFENTLICHEN
CONSISTORIUM VOR PAPST PIUS II.

Als im Sommer des Jahres 1462 die immer weiter in Europa vordringenden Türken Bosnien erobert hatten und von hier aus zugleich Ungarn und Italien bedrohten, suchte Papst Pius angesichts der für das ganze christliche Abendland eingetretenen ungeheuern Gefahr einen allgemeinen Kreuzzug gegen die Türken ins Werk zu setzen. Desfalls wandte er

sich unter Anderen auch an den mächtigen Herzog Philipp von Burgund, den Vater Karls des Kühnen. Bei diesem fanden die päpstlichen Gesandten anfangs kein geneigtes Ohr. Aber eine schwere Krankheit stimmte den Herzog um: er erklärte sich bereit, am Kreuzzuge teilzunehmen und fertigte eine Gesandtschaft an den Papst nach Rom ab, wo dann der burgundische Gesandte den Kreuzzugsabsichten seines Herrn in der nachstehenden Prunkrede feierlichen Ausdruck gab. (Vgl. Pastor Gesch. der Päpste II, 221). Entnommen ist der (freilich an manchen Stellen verderbte) Text einer Handschrift der Trierer Seminarbibliothek (R. II, nr. 11. Pap. saec. XV. ex. fol. 180 185').

H. V. SAUERLAND.

PROPOSITIO¹⁾ EPISCOPI TORNACENSIS.

Si, ut inquit Cicero, magnum est onus, me unum in hoc dignissimo conventu hominum audientium omnibus verba proferre, cum etiam fere, pater beatissime, nemo sit, qui non acutius atque acrius vicia indicit, quam vitat²⁾, non mirum, si varios eventus orationis expectans iudicium hominum pertimesco. Nam et secundum Aristotelem concionari difficultius est quam iudicio contendere, cum in iudicio iudex sit unus. Quot audientes video, tot expecto mee confusionis iudices. Auget et metum, quod scientia deest eloquentieque non assit facultas, quibus scirem et humilia subtiliter et alta graviter et mediocria temperate disserere. Scio enim iuxta Cassiodorum, quod asserere naturale est invenire³⁾, sed facundia est decenter asserere, estque cunctis desiderantibus loqui res omnis ita diserte quas et prudentes se admirantur audivisse³⁾. Sed esto, linguis hominum loquar et angelorum, si caritatem non habeam, factus sum secundum apostolum velud es sonans aut cimbalum tinniens. Quia ergo, que dicturi sumus, pater beatissime, in caritate consistunt et ex sola caritate procedunt, meo scabioso et rudi stilo dicam cum humilitate et reverentia et in caritate, inquam, que patiens est et benigna,

1) superscr. Oro. — 2) videat cod. — 3) textus corruptus.

que non emulatur nec agit perperam, que non inflatur, non est ambiciosa, que non querit que sua sunt, sed que Jhesu Christi, ut per eam operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, pro quibus ut pro republica iuxta Senecam dicere non licet, sed facto opus est.

Audivit bona legationis tue, o pater beatissime, illustrissimus princeps, tue beatitudinis humillimus et devotissimus filius, dominus noster, Burgondie et Brabancie dux, comes Flandrie etc. Audivit flebilem orientalis ecclesie ruinam, cuius si quid residui erat, apud Grecos habebatur, quam nunc, proch dolor, cernimus inimicorum Christi spurcissimorum Turcarum pedibus conculcari, ut iterum imple(a)tur scriptura prophetic*i* planctus Iheremie dicentis: «*Facta est quasi vidua donna gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.*» Sciunt cuncti, Grecos inter primos fidem Christi suscepisse, ad quos ut ad catholicos varias suas Paulus direxit epistolas. Quis ignorat, extunc plurimos fuisse pontifices sanctosque patres et doctores, qui sanctitate vite, scientia ac doctrina fidei nostre nascenti magnam firmitatem prestiterunt, inter quos fuere et ille magnus pater Basilius, Johannes Crisostomus, Anastasius, Euisibius et alii plures satis noti, quos, ne tedious sim, omitto. Nonne residui fuerunt Greci orientalis ecclesie, nonne apud eos fides mansit, quando ille magnus draco Macometus duas partes stellarum cauda sua de celo traxit? Dum Asiam et Africam veneno sue legis infecit, ipsi nedum fidem servarunt, sed extunc se murum posuerunt pro domo Israel. Heu, heu, pater beatissime, unde tam dignis tanta infelicitatis et miserie iactura, ut, qui splendor et lux mundi quondam fuerunt, quasi opprobrium hominum et abiectione plebis ab hostibus habeantur. Dignos quondam eos dico, quorum certe etiam preter fidem catholicam fama carminibus poetarum illustrissima esse solebat, quibus secundum quosdam sub figmentis et fabulose plurima laude et admiracione digna de Grecis scripserant. Vetat tamen attencius illa falsa iudicari, nam et inquit libro constitutionum: si finxissent, vani fuissent. Fatetur tamen quod rebus gestis bene quendam addiderant colorem. Grecis testis est Valerius Maximus, quod ceteris olim gentibus prestiterunt cum pericia literarum, quarum fuerunt inventores, tum sciencia rei militaris¹⁾ terrestris.

¹⁾ militaru cod.

Marcus Cicero quoque testatur. Et de hiis Cicero dicens, quod ab ipsis humanitatem accepimus. Et idem in libro de oratore Athenas bonarum artium inventricem appellat. Precianus quoque Grammaticus Grecos fontibus, Latinos vero riuulis comparat. Item et Justinianus imperator, qui satetur ius Romanorum a Grecis ortum habuisse. Similiter et Gracianus in principio decreti de translacionibus librorum Psalaionis et expositorum ¹⁾ legum XII tabularum mencionem facit. Quid plura dicam, nisi quod Oracius de hiis inquit Grays: Ingenium Grays dedit ore rotundo musa loqui.

Peribit gens ista, pater beatissime; peribit et urbs illa inclita Bisancium, a Pausania rege Spartanorum condita, a Constantino catholico Cesare aucta et ab eo Constantinopolis dicta factaque christiani imperii sedes et tocius orientis caput. Erubescant christiani, quod ista fieri debeat clipeus Macometisse legis, que religionis christiane murus esse solebat. Sed peribit fides catholica, peribit lex evangelica? An peribit et ecclesia mater nostra, quam dominus et salvator noster Ihesus Christus gloriosissima sua morte plantavit, quam preciosus apostolorum et martirum sanguis rigavit, quam florere facit sacrarum virginum candida virginitas, quam fructo bonorum operum gloriosus confessorum chorus fecundat?

Hoc ne fiat et ne tolleretur et ne gaudeat ipsius hostis iniquitate sua, quantas adhibuerit catholicus princeps noster diligencias, tua sanctitas novit, pater beatissime. Taceo solempnes ambaciatas suas ad catholicos reges et principes orbis. Taceo, quod Ratispone de finibus terre veniens personaliter optulerit. Taceo suas devotas et speciales sollicitaciones ad sancte memorie. Nicholaum et Calixtum summos pontifices, predecessores tuos, ad imperiale maiestatem, ad illustres principes electores imperii sacri, quas singulariter noscit tua beatitudo; solumque rememorandum ²⁾ decernimus, quid in Francfordia conclusum extiterat. In illa nempe Francfordiensi di(eta), in qua tu, beatissime pater, adhuc (in) minoribus existens, ut legatus imperialis maiestatis, presidebas, tua tam devotissima quam suavissima oracione illustrissimos Germanie

¹⁾ sic! — ²⁾ rememorandam. ms.

principes, quos iuvenes et robustos cernebas, arguebas, si domi manerent, cum princeps noster iam senex in Aziam se iturum offerebat. Nec vana fuit tua talis exhortacio. Nam Ungaris auxilia potentibus 30 milia peditum, equitum decem milia¹⁾ illustris illa Germana nacio instaurare decrevit, sex milibus in partem principis nostri distributis. Que portio licet quibusdam satis gravis videretur in respectu ad alios illius nationis principes et totius imperii subditos²⁾, eciam distantia terrarum dominorumque³⁾ principis nostri usque ad hostem, talis tamen fuit fervor sue mentis ad huius sancte rei complementum, quod iugum illud suave sibi et onus leve iudicavit annuitque liberalissime. Visa est demum et in maritimo consilio istius catholici principis pura et sincera intentio, quam publice per illustrem nepotem et tunc oratorem suum dominum ducem Clivensem palam fecit declarari. Cui rei et memores et testes esse possunt et tua sanctitas et hoc sacrum Romanorum dominorum cardinalium collegium. Quid post hec contigit, tua beatitudo videt, pater beatissime. Sizania ita crevit inter prefatos Germanie principes, ut suffocaret triticum, ne sacrificium offere⁴⁾ posse(n)t deo in azimis sinceritatis et veritatis, ut decreverant. Nam tanto guerrarum furore se mutuo concusserunt⁵⁾, ut nec rem aptam complere potuerint nec sciamus, quid pro futuro sperandum. Temptavit nichilominus piissimus princeps no(ster) per oratores suos solempnes et gravissimis sumptibus suis omnia, que excogitare potuit media pacis, ut pietatis animis posset cum eis libere domino deo reddere vota sua. Sed heu non profuit nec exauditus est; quod⁶⁾ fecit inimicus homo, seminator sizanii, serpens ille antiquus, qui vocatur dyabolus et sathanas, qui subvertit universum mundum, ut in apocalipsi scribitur. Sic anxius sedens tue sanctitatis devotissimus filius dominus dux no(ster), cognoscens potentiam suam exiguum esse ad debellandum hostem piisque sollicitaciones⁷⁾ suas incassum iri, quasi desperatus de re ipsa, ut deus dereliqueret eum aut forsitan offensa divina maiestas vindictam querat de peccatis

¹⁾ mille ms. — ²⁾ in subditos ms. — ³⁾ dominorumque ms. —

⁴⁾ efferre ms. — ⁵⁾ concussarunt ms. — ⁶⁾ zº ms. — ⁷⁾ sollicitationis ms.

nostris, gemensque in corde suo cum propheta dicebat : *Dominus, si iratus fueris, item nunc recordaberis.* Et ecce velud angeli dei duo successive apostolatus tui nuncii, qui sanctam mentem tuam et gloriosum propositum tuum sibi amplissime detexerunt ! Afferuerunt enim, tuam beatitudinem, principum et potestatum huius inclite nationis Ytalie fretam auxilio, velle exercitum procurare potentem, quo posses hostis rabi compescere furorem sueque ambitioni frena dare ; posseque, pater sancte, dispersos et vagos cristicolas congregare¹⁾ et reunire tuo gregi, consolari desolatos, profugos quoque et exules ad proprias edes reducas. O que potest tanta existere ubertas ingeniique tanta dicendi copia , quid tam divinum et incredibile genus oracionis, quo possit quis, pater beatissime, hanc tuam sanctam mentem dignis extollere²⁾ laudibus. Magnificantque cuncti, si tua urbe relictta et quiete³⁾ tua, corpori seni et iam variis egritudinibus lasso non parcens, te pro hac re Mantuam transtuleris. Sed glorificabunt nomen sanctum tuum, dum hanc perseveranciam intelligent et tue sancte mentis videbunt effectum.

Dum autem hec audivit tuus athleta et devotissimus filius dominus dux noster, tunc tali morbo⁴⁾ pressus, quod quasi usu membrorum careret, revixit spiritus eius et velud senex Jacob tanquam de gravi sompno evigilans ait : *Sufficit michi, vad am et video eum.* Vidisses, pater beatissime, proximicia leticiam, pro tristitia iocunditatem, videsses hominem semivivum subito resurgere, audisses eum sub fidelibus et caris legacionem sibi factam cum tanta hilaritate recensere⁵⁾, ut neque morbi neque tristie vestigium appareret. Et cum ob hoc spes redierit, nos due beatitudinis humillimos et devotissimos servulos, hunc scilicet spectabilem et magnificum strenuumque baronem ac hos duos generosos strenuosque milites et me servum tuum ad pedes tue sanctitatis venire iussit, sciscituros⁶⁾ de hac re et eius affectu⁷⁾, quantum clementissima benignitas tua declarare dignabatur ; dicturos etiam, que sit in ea re ipsi(us) catholici principis nostri mens et finalis intencio.

¹⁾ aggregare ms. — ²⁾ extolle' ms. — ³⁾ quiete ms. — ⁴⁾ uno ms. — ⁵⁾ recenseri ms. — ⁶⁾ scituros ms. — ⁷⁾ vel : effectu.

Ut igitur nos paucis absolvamus, cognoscit ipse catholicus princeps noster immensa divine largitatis sibi collata beneficia non solum amplitudine principatum, pace et tranquillitate suorum domin(i)orum, amore sincerissimo et benevolencia suorum subditorum, sed maxime de tam gravis tamque desperati morbi sibi redditam sanitatem, non quidem¹⁾ hominum ingenio nec arte medicine, non beneficio nature, sed sola divina benignitate, que eum tanquam de morte reducit ad vitam. Et cum non habeat, *quod tribuat domino pro omnibus, que retribuit sibi*, si tua sanctitas in suo sancto proposito perstiterit et hec inclita natio, et instaurent exercitum prout honor fidei et necessitas rei exposcunt, concurret iste catholicus princeps noster seque ad defensionem fidei nostre et in servicio dei dedicabit, et hoc verno proximo tempore se disponet et ordinabit iuxta ea, que per tuam sanctitatem cum principibus et potestatibus huius inclite nationis aut eorum oratoribus²⁾ una nobiscum, qui mandato plenissimo fulti sumus, conclusum atque decretum fuerit. Et si, quod avertat deus, cuius res agitur, ipse dominus noster infirmitate aut impotentia corporali esset taliter occupatus, quod nullo modo posset personaliter concurrere, quod sibi ad mortalem displicenciam esset, ipse in eo casu mittet copias suas non minores illis sibi alias distributis, sed potius ampliores, si deus facultates contulerit; quas³⁾ utinam secundum desiderium, quod huic sancte rei gerit, augeat altissimus!

Restat ergo solum, ut armati clipeo fidei et spe salutis aggrediamur inimicum. Nos iustum causam fovemus iustumque bellum gerimus, scilicet ut si(c) catholici auctori pacis pacifice famulemur. Justum bellum est, quo pax queritur. Nam secundum Aristotelem in Ethicis *bellamus, ut pacem ducamus.* Quem sequitur Cicero dicens: *Bellum ita suscipitur, ut nil aliud nisi pax quesita videatur.* Nullaque iustior causa belli gerendi est quam servitutis depulsio, pro qua certe vite periculo decertandum est. Non eadem causa hostibus est, qui servitutem nostram querunt, qui iniuste iustos opprimunt, qui loquuntur iniquitatem, *mala autem in cordibus eorum.* Ideo iuxta Cassiodorum utile est ad arma concurrere, quia

¹⁾ qd. ms. — ²⁾ oracionibus ms. — ³⁾ q quas ms.

locum apud adversarium iusticia non potest invenire. Sed alie iterum nobis sunt cause belli gerendi, pater beatissime, ut opem scilicet et auxilium feramus fratribus nostris oppressis, qui tam infelici miseria premuntur, si beneficiorum memores, si grati, si humani esse volumus. Hoc etiam congruit dignitati tue, qui christiane monarchie presides secundum ordinem Melchisedech, ut rex scilicet et sacerdos.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis. Ovidius. Decet enim iuxta Cassiodorum regalis apicis dignitatem curam generalitatis habere. Hoc testatur et canon noster, regis officium esse liberare quoque ab impiis¹⁾ vi oppressos. Censuit enim lex civilis d(icen)s, quod congruit bono et potenti presidi, ut pacata et quieta sit provincia, quam regit. *Et bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis,* ait evangelista. Preter hec sunt et alie cause belli, que non solum tuam et hunc dignissimum cetum, sed et hanc inclitam nationem, ymmo et universum christianum orbem movere debent, pietas scilicet atque religio, ut beati Iheronimi verbis utar, pater beatissime. Horret animus, temporum nostrorum ruinas prosequi. Decem anni et eo amplius sunt, quod inter Constantinopolim et Hungariam ac Sclavoniam cotidie christianus sanguis effunditur ibique immanissimi hostes christiani nominis vastant, trahunt et rapiunt. Quot matrone, quot vidue, quot virgines Christi, et ingenua nobiliaque corpora hiis bellis fuere ludibrio capti, ipsi tracti aliorum captivorum greges, imperfecti presbiteri et diversorum officia clericorum, subverse ecclesie et ad altaria dei equi stabulati, martirum aliorumque sanctorum suffosse reliquie! Sed et proch dolor novissime et in hoc anno, mense quasi Mayo regnum Bosnie, quod nobis residuum erat, subripuerunt hostes, rege proceribusque regni crudeliter et proditorie iugulatis ac inclita regina cum familia sua heu tradita prede; ita ut cum Jheronimo dicere cogor: *Ubique luctus, ubique gemitus* et plurima mortis ymago. Christianus orbis pavit, et tamen cervix erecta ad pietatem non flectitur! Quid putas, pater beatissime, curam anime habere Chorinthios, Athenienses, Archados cunctamque Greciam, quibus imperitant barbari? Hec nempe regna magna fuere, ubi Christus colebatur; qui dietim expectant dampnate legi Machome-

¹⁾ inipios ms.

tice supponi. Felix, qui hec non videt! felix, qui audit! Nos miseri, qui hoc toleramus et patientes fratres nostros pati percipimus et tamen vivere volumus, cum dixerunt patres nostri zelatores dei et legis: *Melius est nobis mori in bello,* quam videre mala gentis nostre et sanctorum. Si secundum Ciceronem *pietas est, per quam propinquis prie benevolis*¹⁾ officium et diligens tribuatur cultus; si secundum apostolum pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite, que nunc est et future — quare non miserebimur fratribus nostris afflictis, et ut mereamur, maneat incolmis res publica christiana? Nam inquit Cassiodorus in epistolis: *Pielas siquidem totum custodit imperium, et dum singulis vicissitudo redditur, incolum(i)a reipublice membra servantur.* Ut ergo misericordiam consequamur, simus et fratribus nostris afflictis pii, misericordes, ut pater noster celestis misericors est. Post hec nos debet movere christiana religio seu amor deo debitus. Ait enim sapiens: *Dilige eum, qui le fecit.* Non solum autem nos fecit, sed refecit, dum nos redemit, et nos perficiet in gloria. Unde beatus Bernardus ait: *De omnibus, que sub celo sunt, dixit et facta sunt,* sed nunquam solo verbo factum est. Cum te fecerat, refecit te. Triginta tribus annis super terram visus est et cum hominibus conversatus est. In factis habuit calumpniantores, in verbis contradictores. Pro te reficiendo egit mira, sustinuit dura, et non solum dura sed etiam indigna ludibria, opprobria, flagella, sputa et huiusmodi et quod plus est omnibus, mortem crucis. Quid pro dei amore et cultu religionis fecerunt patres nostri, sacra testatur pagina. David, qui cultum dei ordinavit ampliavitque; Salomon, qui templum mire pulcritudinis edificavit; Jacob, qui eiusdem templi ruinas restauravit; Ezechias, Josias, Mathathias, qui vite sue non parcentes templum dei a gentibus mundaverunt. Et si aliorum regum et regnum aspiciantur historie et gentilium revolvantur annales, inveniemus subruptos esse principatus regnaque translata, quia cum essent ministri regnum, non est ab eis deo et religioni debita exhibita reverencia. Nos ergo dei amor inducat et exempla patrum, ne sanguis fratrum nostrorum exigatur a nobis. Moveat nos de-

¹⁾ *textus corruptus.*

nique religiosa caritas, qua nostrum proximum diligere debemus. Scriptum est enim : *Diliges dominum deum tuum etc.* et sequitur : *et proximum tuum sicut te ipsum.* Et in Exodo scribitur : *Pauperum misereberis.* Et Salomon in proverbiis dicit : *Universa delicta operit caritas.* Et si qua reverencia verbis Ciceronis est, audiamus, quid quodam lumine fidei accensus dicat. *Homines, inquit, ad deos nulla (re) propius accedunt quam salutem hominibus dando.* Precepit hoc et lex evangelica. *Omnia, inquit Lucas, quecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos illis facite.* Similiter et Johannes evangelista : *Qui habuerit substanciam¹⁾ huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauiserit viscera sua ab eo, quomodo caritas dei manet in eo?* Et sequitur : *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Non dicamus, ut ait Salomon in parabolis, amico nostro : *Vade et revertere, cras dabo tibi!* cum statim dare possumus. Nam ut ait Paulus ad Thimotheum : *Si quis suorum et maxime domesticorum, ut nobis sunt Christiani, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.*

Sed esto quod refrigerescat, immo sit extincta caritas multorum, non sit fides, non sit religio : alia causa certe adhuc est, que nos urgebit, videlicet recuperare Constantinopolim et eam eripere de manu infidelium, si nostris rebus, si huic Ytalice provincie, cuius iam paries ardet, si etiam totius Europe saluti consulere volumus. Nonne urbs illa in faucibus Helesponti sita inter Asiam et Europam media aptissimaque maritime ed terrestri expeditioni clavis quidem est Europe, cuius certe commoditatem prospiciens prudentissimus ille Constantinus selem imperii ibidem non in vanum constituit ? Nam cum antiquum odium inter alienos et Europe populos semper fuerit, ut ex Grecis et Latinis historiis videre licet, necessaria fuit Europe clavis illa ; quod nobis nunc experientia manifeste demonstrat. Nam quamvis plerique ex Europa in Asiam triumphaverint, ut Greci in Troya, Alexander in oriente, Romani similiter et post hec Gallici sub duce Godefrido et post eum plures alii, nusquam tamen visi sunt usque modo

¹⁾ superbiam ms.

Asiani in Europa triumphasse. De quo si queratur unde, ridiculosa est hec questio. Quis facile non ingreditur cameram vel archam? Qui claves habet. Ita. Ita postquam clavem habent Asiani, hostes in nos ingressi sunt, pater beatissime, ut in confusionem et obprobrium christiani nominis decem regna, ut aiunt, ubi Christus colebatur, a decennio citra sue ditioni subegerunt, que dicuntur ultra mille millia terre et longitudine.

Accingere ergo gladio tuo super femur tuum, potentissime! Ad te enim spectat hoc negocium, et nos tecum sumus, nec est formidanda hostis nostri potentia. Si gentem innumerabilem inducit, inermes sunt; tu armatos habes. Vecordes sunt et timidi; tui vero audaces, animosi et strenui milites. Nec arguit, quod hos vicerit, quos hucusque aggressus est. Facile vincere potest, cum sibi non resistitur. Non nos frangat ista res! Dicit Joab: *Varius enim est eventus belli*, et nunc huc et nunc illuc gladius consumit. Ne paveas repentina terrore et irruentes tibi potentias impiorum. *Dominus enim erit in latere tuo et custodiet pedem tuum, ne capiatur*, ut in parabolis scribitur. *Infelices nimis sumus, si tantum deo displicemus*, ut per rabiem barbarorum illius in nos ira deserviat, inquit Jeronimus in epistolis. Si sic est, quod absit, sacerdotis utere officio, cum arma clericorum lacrime sint. Penitenciam indicas, oracionem funde! Deus offensus placabitur. Ezechias egit penitenciam, et centum octoginta quinque milia Assyriorum uno angelo una nocte deleta sunt. Josaphat laudes domino concinabat¹⁾, et dominus pro laudante superabat. Moyses contra Amalech non gladio sed oracione pugnavit. Pugnabit certe et dominus pro nobis, qui contra Senacerum misit angelum suum. Favet nobis, qui favit monarchie zelatorum dei et legis. Assistet, qui astitit Josue, qui Gedeoni, qui David contra Goliam. Exaudietque preces nostras, qui Moysi oranti dedit victoriam; ponetque dominus hostem *sicut rotam et sicut stipulam ante faciem venti*, quia dicit: *Hereditate possideamus sanctuarium dei!* Et iuxta Ovidium: *patuere telis vulnera facta suis.*

1) concinabat ms.

Delebit quoque eum dominus, sicut delete sunt tabule; vertet et ducet crebrius stilum super faciem¹⁾ eius, in libro regum scribitur. Illustrisque ipsos illudet et mansuetis dominus dabit gratiam. Fortiter ergo agamus, nec timeamus! In hoc quippe bello periculum nobis esse non potest. Si vincimus, cuncta cum gloria, cum triumpho nobis patebunt; si succumbamus, quod²⁾ existimare nephias est, procul dubio iuxta apostolum aureola martirii coronabimur, cum in hoc agone legittime certaverimus.

Ad sanctissimum et divinitatis instinctu omnium patrem Pium papam^{2^{um}} Guillelmi episcopi Tornacensis pro Christianorum expeditione in Thurcas elegans oratio explicit. Dicta Romè apud sanctum Petrum in consistorio publico a prefato Guillelmo nobilissimi ducis Burgondie ambasciatore. Anno domini M° CCCC° LXIII° VIII^a die Octobris.

¹⁾ superficiem ms. — ²⁾ quid ms.

ZWEI KLEINE ANALECTA TREVERENSIA

ÜBER DIE ERSTÜRMUNG VON MAINZ (1462)
UND ÜBER DEN GROSSEN BRAND VON ERFURT (1470).
MITGETEILT VON H. V. SAUERLAND.

Die Handschrift nr. 804 (früher 691, Standnr. 814, Pap. saec. XV. ex. et XVI. in.), welche aus der Eucharius-Abtei bei Trier stammt und als deren Anfertiger oder ursprünglicher Besitzer ein „frater Hupertus Colonie“ auf der Innenseite des Vorderdeckels bezeichnet ist, enthält unter massenhaften Collectaneen aus dem Ende des XV. und Anfang des XVI. Jahrhunderts auch die beiden nachstehenden Aufzeichnungen (auf Bl. 81).